DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE.

2

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO

GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS BESNARD,

HIBERNUS.

A. B. T. C. D.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR. ATQUE PRÆS. ANN.

NECNON,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTR.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCC.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE.

SYMPTOMATA, quæ verum aſthma prægrediuntur, ſunt ſequentia. Dies complures paroxyſmum antecedentes ægrotus languorem, animi depreſſionem laſſitudinemque ſentit. Somnus perturbatus et appetitus diminutus fit. Die paroxyſmum præunte ſæpe occurrunt ventriculi diſtenſio inſignis, eructatio, flatus, præcordiorum ſtrictura et calor immodicus. Æger in lecto, niſi moleſte, recumbere non poteſt. Gelidam potionem appetit, quæ ei multum prodeſt.

Sæpe in hoc ſtatu febrili evacuationes uſitatæ ſubito exſiccantur. Aliis temporibus ſi fonticulus adſit, dolorem affert, ſanguineus fluit et inflammatione afficitur. Stupor, laſſitudo et ſomnolentia cum oſcitatione frequenti et pandiculatione per noctem paroxyſmum præeuntem obveniunt. Urina ſæpiſſime abundat, palletque. Vox irrauceſcit, et circa diaphragma ſentitur anxietas, ejus facili deſcenſu impedito. Tuſſis arida et convulſiva cum expectoratione parva vel nulla interdum occurrit.

Ad paroxyſmi inſtantis ſymptomata nunc progredimur. Hic circiter ſecundam vel tertiam horam matutinam cum pectoris conſtrictione incipit. Diaphragma ægerrime deſcendit. Muſculi ſcapulas attollentes ad reſpirationis difficilis allevationem ſtrenue agunt. Hinc accidit, eos, qui longum huic morbo ſubjecti ſunt, capita inter humeros depreſſa gerere.

Expiratio, quamvis tarda, inſpiratione liberior eſt,

eſt, quæ moleſtiſſime procedit. Æger tuſſiendi, loquendi vel naſum emungendi inhabilis eſt. Eadem tempeſtate expectoratio omnino abeſt. Ventriculus flatu diſtenditur et materiei bilioſæ evomitio ſæpe accedit. Potio frigida ægroto gratiſſima eſt. Frequenter ex cubuli ſurgit ruitque ad feneſtram aërem frigidulum avide inhalans; vel in toro erectus ſedere cogitur. In hoc ſitu muſculi et viſcera abdominis deſcenſionem diaphragmatis impedire non poſſunt. Hoc tempore hauſtus calidi, vinum vel medicamenta ventriculi diſtentionem moleſtam augent. FLOYER, cujus diſſertatio de hoc argumento attentionem meret, caloris interni ſenſum tam acute expertus eſt, ut aſthmatis ſymptomata omnia huic calori imputaret. Pulſus plerumque parvus atque frequens eſt. Aliquando extremitates frigeſcunt, et cordis palpitatio cum pulſu intermittenti occurrit. Vultus propter ſanguinis tranſitum per pulmones difficiliorem aliquando lividus fit; ſæpius vero pallidus et contractus. Oculi protruduntur et torpor quodammodo obvenit. Nonnulli per quatuor vel quinque ho-

rarum ſpatium ſeſe in toro erigunt, atque capite procurato dormiunt; nam poſitio recumbens ſymptomata aggravat. Dormitorium anguſtum, præcipue cum igne ſuper focum vel pulvere diffuſo incommodi multum ægro affert. Etiam ſtragulorum oppreſſio fere intolerabilis videtur.

Si malum in pejus ruat, cor mire palpitat, membra frigent; malæ nigreſcunt et ſudor frigidus circa frontem et jugulum emanat. Oculi protruſi lachrymas involuntarias emittunt. Nares fiunt acutæ, et labia contrahuntur. Muſculi detumeſcunt, flacceſcunt, et vires vitæ ſummopere languent. Soporoſi deveniunt ægri, ſed parum dormiunt. In animi deliquium non raro cadunt; delirant, et nonnunquam etiam mors finem miſeriis imponit.

At ſi vertatur in melius; anguſtia circa præcordia et pectus ſenſim minuitur et tandem omnino deſinit. Calor per totum corpus æqualiter diſtribuitur et levi ſudore cutis madet. Plerumque co-

pia

pia phlegmatis vifcidi lineis nigris difcriminati expuitur. Ceffat fputum cum paroxyfmo. Urinæ nunc rubræ et turbidæ fiunt, et fedimentum fæpe haud abfimile illi quod poft paroxyfmum febris intermittentis apparet, deponunt.

Paroxyfmus nunc ferius, nunc citius folvitur. Nonnunquam durat tres vel quatuor dies; nunc intra horam unam vel alteram omnino definit. Sed obfervandum eft, quod, quamvis malum ad quartam diem vel ultra nonnunquam protrahitur, attamen per totum hoc tempus non eadem vehementia ægrum infeftat: remiffiones enim, quamvis obfcuriores, fæpius obfervandæ funt, mane præcipue; et tunc corpore antrorfum vel ad unum vel alterum latus inclinato, fæpe fomnus obrepit.

Non tamen femper hoc ordine et eadem vehementia apparent fymptomata; diverfis enim temporibus, vel in eodem vel in diverfis ægris multum difcrepant. Nunc ante acceffum alvus tumet

et

et ructus copiose emittuntur; nunc cessante paroxysmo, qui interdum absque ullo prægresso signo, uno quasi ictu ægrum invadit, et eodem modo desinit. Nonnunquam absque febre cursum suum absolvit; nunc febris accessionem comitatur. Urinæ nunc pallent et valde copiosæ sunt; nunc rubræ et parcæ. Duratio quoque paroxysmorum in variis casibus multum variat. Per æstivos menses paroxysmi multum graviores sunt quam per hibernos. Calor permultis testantibus universè paroxysmum exasperat protrahitque. Observandum est, ut quanto longior ullius paroxysmi duratio sit, tanto proximi accessus protrahitur. Sanguis, ut in pneumonia, superficiem coriaceam albam ostendit.

Hicce morbus per se raro mortalis; sed alios morbos inducendo aliquando jugulat. Hoc accidit, ubi paroxysmi vehementiores et crebriores invadunt; nam hoc modo functiones pulmonum aliorumque viscerum turbantur et hinc varia mala oriuntur. Phthisis, hydrops particularis vel universalis,

verſalis, paralyſis, aneuriſmus hujus morbi ſequelæ ſunt. Multi nihilominus per multos annos vixerunt hoc malo laborantes; neque ejus operatio illorum vitas breviores reddidiſſe apparuit.

Homines proclivitatem in aſthma, ſæpe una cum genere, deducunt. Interdum vero ipſe morbus eos, quorum parentes ab ejus impetu vixerunt omnino vacui, invadit. Raro ante pubertatem ullos, niſi quibus inſignis congenita ſit, proclivitas corripit.

Utrumque ſexum, ſæpius autem virilem afficit. In hominibus, quibus hæc prædiſpoſitio hereditaria adeſt, quamvis aliquando aſthma non plane appareat, reſpiratio difficilis quibuſdam cauſis excitantibus, viz. fumo, tuſſi, pulvere talibuſque efficitur.

" Attenta docet experientia," inquit HOFFMANN, " eos potiſſimum homines, qui ſunt tem-
" peramenti

" peramenti ſanguinei, vaſis exilioribus tamen co-
" pioſis inſtructi, obeſiores, plethorici, pectoris an-
" guſtioris; in affectum aſthmaticum convulſivum
" eſſe proclives."—Cullen nihilominus obſervare non potuit, hunc morbum in ullo tèmperamento particulari ſæpius quam aliis occurrere. Etiam addit, plethoricos huic malo crebro ſubjectos eſſe; ſed uſitatè in talibus caſibus ægros poſt morbi repetitiones frequentes tabuiſſe. Hinc concludere videtur, ut corporis plenitudo pro aſthmatis cauſa prædiſponenti haberi nequeat: nam morbus, ſtatu plethorico remoto, permanet, et etiam gravior ſit.

Nunc memorandæ ſunt cauſæ excitantes, quæ forſitan ſub hiſtoria morbi comprehendi poſſunt. Attamen methodi gratiâ hanc partem ſub capite novo ordinamus.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

Hujus generis causarum nulla plus valet quam subitaneæ caloris et frigoris vicissitudines; præsertim si a frigidiore ad calidiorem plagam mutatio fit. Exinde fit ut hic morbus crebrius vere et autumno accidat quam cæteris anni tempestatibus. Hic vero, ut alibi, vetustatis et consuetudinis vis nonnihil dominari videtur. Asthmaticorum enim quidam, qui vitam in montosis locis degere soliti sunt, in planis et paludosis spiritum difficilius trahunt: dum e contrario, qui plana et humida loca diu incoluerunt, ii in montosis pejus sese habent. Quibusdam rus melius convenit, aliis urbs. Hi, velut FLOYER, in asthma æstiva tempestate sunt procliviores; illi per frigora hiemis.

Quodcunque inusitatum ad pulmones sanguinis fluxum efficit hunc morbum excitare potest. Sic

operantur exercitatio immodica, declivitatum aſcenſus, curſus celeres et alia ſimilia.

Quicquid bronchias irritat, multum quoque nocet. In hac ordine habendi ſunt mineralium vapores, præcipuæ ſulphuris et aëris hydrogenæ ex carbonum foſſilium quibuſdam ſpeciebus orientis. Propter hanc cauſam fabri ferrarii aſthmate frequenter afficiuntur. Pari ratione pernicioſi ſunt vapores arſenici.

Alimenta concoctu difficilia præterea aſthma excitare poſſunt. Nimirum intemperantia in cibo vel potu præſertim priori quoque morbum inducit. Ventriculi inflatio fere ſemper acceſſionem accelerat. Ante paroxyſmum plerumque vires concoctionis multum imminui videntur; adeo ut æger paroxyſmi propinquitatem proſpicere poſſit: Homines ignavi, quorum obeſitas reſpirationem impedit, etiam proverbio aſthmatici ſunt.

Variæ ſunt cauſæ quarum operatio per totum

corpus

corpus hoc malum expergat; ut inanitio, animi motus turbulenti, terror, ſollicitudo, mœror; ſpecialiter ubi aſthmatis hyſteriæque conjunctio accidit. – (Vide Floyer.)

CAUSA PROXIMA.

Quæ ſit hujus mali cauſa proxima, varii medici variè opinantur. Plerique tamen concordant naturà ſpaſmodica eſſe et ſolum de ſede ſpaſmodicæ hujus contractionis inter ſe differunt. Quibuſdam muſculi laryngis videntur eſſe partes ſolæ affectæ; aliis bronchiæ; et aliis muſculi omnes reſpirationi inſervientes. Prima opinio ſimplicitate cæteras certe excellit et forſitan omnia ſymptomata explicare per ſe ſufficeret. Sibilus ſtrepens, in paroxyſmo occurrens vix explicari poteſt ſine quadam laryngis affectione. Quæcunque ea ſit, vel ſpaſmodica, vel inflammationis ſpecies, vel ſecretio inuſitata, pronunciare difficile eſt. Ægri, obſervandum eſt, nihil aliud in gutture percipiunt niſi ſen-

ſationem ingratam, quæ raucedinem in quovis morbo comitatur. Huic opinioni favet aſthmatis in animalibus productio per compreſſionem vel irritationem laryngis. Mihi tamen videtur probabile, omnes vel præcipuos muſculos reſpirationis affectos eſſe: nam reſpiratio per aſthmatis paroxyſmum gravem tam impedita evadit, ut hæc ſuppoſitio magis quam ſymptomata explicare vix facere poſſit. Præterea cauſæ excitantes uſitatæ, non ad unam ſed omnes partes ſupradictas æqualiter diriguntur.

PROGNOSIS

In hoc morbo ex ſequentibus conditionibus petenda eſt.

1*mo*,—Ætate et temperie ægri. Quo junior eſt æger, eo, cæteris paribus, major ſpes eſt ſanationis; in juvenili enim ætate ſyſtema nervoſum valde mobile eſt, et exinde ex levi quavis cauſa in ſpaſ-

ſpaſmodicas affectiones magis proclive redditur, quæ creſcente rigiditate, aut aptis remediis plerumque evaneſcunt. Quoad temperiem obſervari meretur, quod ſi ex labe hæreditaria malum emanet, mitigari tantum, nunquam vero omnino extirpari poteſt.

2*do*,—Si ab arthritide, exanthemantibus, evacuationibus ſolitis, &c. ſuppreſſis malum ortum duxerit, ſpes ſola eſt, hiſce reductis, ſanitatem iterum reſtitui poſſe.

3*tio*,—Duratione morbi, vehementia et crebritate acceſſionum. Vetus proverbium eſt, et ex temporibus immortalis HIPPOCRATIS ad hunc uſque diem confirmatum, recentes morbos medicinæ potius concedere, quam antiquos. In aſthmate hoc nimis ſæpe ultra dubium ponitur; quamvis enim per plurimos annos nonnunquam ſine multo incommodo duret; et medicamentis rite inſtitutis, levamen ſæpe magnum afferatur; vix unquam tamen omnino evincitur. Si autem paroxyſmi vehemen-

mentiores et crebriores aggrediantur, vel ex ſeipſis jugulare poſſunt, vel alios morbos inducendo. In genere obſervandum eſt, quod, ſi ægri palpitationibus, ſyncope frequenti, febre lenta, nocturno præcipue tempore invadenti, lethargo, paralyſi vel apoplexia tententur, mors plerumque cito ſuccedit.

Quoad hujus morbi diagnoſin vel eam ab aliis modum diſtinguendi, nulla methodus poteſt melior eſſe quam mali definitionem a CULLENO prolatam in proſpectu habere. Hæc in ſequentibus verbis comprehenditur :—

"Spirandi difficultas per intervalla ſubiens cum " anguſtiæ in pectore ſenſu et reſpiratione cum " ſibilo ſtrepente ; tuſſis ſub initio paroxyſmi dif- " ficilis vel nulla, verſus finem libera cum ſputo " muci ſæpe copioſo."

Talis ſymptomatum congreſſus, nunquam (ni fallor) niſi in aſthmate invenitur.

MORBI

MORBI CURATIO.

Sub curationis capite consilia duo observanda sunt:—1*mo*, Instantis paroxysmi tractatio; 2*do*, Ejus reditui obsistere.

In paroxysmi tractatione judicare debemus, cuique ex tribus hujusce morbi statibus præcipuis æger subjiciatur. Hi sunt sequentes:—Ubi asthma in diathesi plethorica oriatur, ut in juvenibus robustis, aliquandoque puellis mensium suppressione laborantibus; ubi catarrhus asthmati superveniat, ut in asthmate humorali; et postremo ubi morbus sit asthma spasmodicum purum.

In prima morbi conditione sanguinis missio promptissimum respirationi levamen affert, atque etiam spasmodicæ actionis solutionem efficere potest. Hocce remedium magis necessarium evadit, ubi

ubi verſus caput ſanguinis determinatio acciderit. Purgativa mitiora vel enemata ad alvi ſolutionem modicam adminiſtranda ſunt. Præcavenda ſunt acriora, quæ in aſthmaticis paroxyſmum excitare per ſe ſufficiunt. Etiam in ſtatu purè ſpaſmodico, ſi ægri vires maneant, atque paroxyſmus inordinate vehemens aggrediatur, venæſectio inter prima antiſpaſmodicorum habenda eſt, tutòque eam tales ægroti patiuntur. Attamen obſervandum eſt, circumſpectionem in uſu hujuſce remedii hìc magis quam illìc neceſſariam eſſe. Profectò ſine dubio perniciosum eſt, quandocunque ægrotus morbi duratione emaciatus debilitatuſque ſit. Præterea quum aſthma humorale quodammodo adſit, venæſectio evitanda eſt. Inter omnes conſtat, ut, poſt ſeroſæ effuſiones in thorace acciderunt, ubi anaſarca et diatheſis lencophlegmatica minitari videantur, venæſectio terminationem lethalem acceleret.

Emetica per paroxyſmos adminiſtranda a nonnullis medicis periculoſa æſtimantur; et certè ubi capiti determinatio ſit vel habitus corporis plethorica,

hoc

hoc negari nequit. Sed his abſentibus, et præcipue paulo ante paroxyſmorum acceſſus emetici exhibitio utilis fuit, etiamque penitus paroxyſmum repulit.

Emetica, verum eſt, aliquando diſtenſionem ventriculi augent et paroxyſmum graviorem reddunt; præcipue ſi potiones aquoſæ pro emeticorum auxiliis eodem tempore exhibeantur.

Veruntamen emetica ſtimulantia, quale eſt ſinapi, ventriculum roborant et flatum expellunt. Interdum accidit in aſthmate humorali mucum inſpiſſari, indureſcere atque fauces oppilare. In talibus caſibus ipecacuanha et ſcilla uſque ad nauſeæ excitationem datæ mucum attenuaverunt, atque ejus exſpuitionem faciliorem reddiderunt.

Per paroxyſmum enemata utiliſſima ſunt fæcium irritationem removendo. Hæc, quæ aſam fætidam continent quoque prodeſſe inveniuntur.

Acida aſthmaticis grata ſunt.

Regimen antiphlogiſticum, alimenti ſtimulantis evitatio et temperantia in iis, qui aſthma longe paſſi ſunt, majorem remediorum partem conſtituunt.

Opium inteſtina conſtipare et cibi concoctionem impedire aptum eſt, qui hujus medicamenti effectus aſthma aggravant. Tamen multi medici celebres, et intra eos CULLEN hoc medicamentum in aſthmate commendant, dicentes, ejus vires antiſpaſmodicas, ſine ullo incommodo ex aliis orienti obtineri poſſe.

Ubi morbus leniter invaſit, præcipue ſi ſymptomata catarrhalia coeant, ſyrupi papaverum limonumque miſtura multum prodeſt.

Caſtoreum quoque feliciter adhibitum fuit. Pulvis recens tincturæ anteferendus eſt. Gummi aſſafœtida late diffuſam famam in hoc morbo acquiſivit.

vit. Ejus operatio, opii, caſtorei, moſchi additione augetur. Quando debilitas ſuperveniat, uſus narcoticorum ambiguus eſt. Hìc ſaltem opium cum alkali volatili, æthere, ſimilibuſve miſceri debet.

Miſtura compoſita ex mucilagine, tinctura opii ammoniata et HOFFMANNI liquore anodyno ætate provectis, qui aſthmate humorali afflicti ſunt, gratiſſima inventa fuit.

Liquorem Anglicè denominatum *Punch* vel *Vini Nimium* FLOYER ſibi injurioſum expertus eſt. Quodcunque perſpirationem obſtruit, aſthmatis paroxyſmum, præſertim humoralis gignere poteſt. Semper momenti eſt ſanguinis in pulmonibus accumulationem prævenire et ſtomachi fibris vires reſtituere. Huic conſilio ſubſervit frictio quam BOERHAAVE nimirum in fere omnibus morbis continuis commendavit.

Haud ſcio an hujus remedii effectus in caſibus

leneophlegmaticis nimis parvi pretii æſtimantur.

Coffæa laudatur ut antiſpaſmodica in hoc morbo. Sed FLOYER expertus eſt, ejus uſu dyſpnœam aggravatam fuiſſe. CULLEN opinatur injurioſam eſſe, ut aliæ potiones calidæ. Nihilominus multi ſuſpiriori ab ea levamen inſigne derivarunt. Digniſſimus DR PERCIVAL in propria perſona ejus efficaciam expertus eſt. Decocta potentiſſima ad plenum effectum neceſſaria ſunt.

Ubi affectiones catarrhales hunc morbum comitantur; ubi mucus inſpiſſatus, atque præſertim conſtipatio appareat, mel utile eſt. Hìc paritèr oxymel ſcillæ haud omnino contemnendum eſt.

Quibuſdam aër montium aridus (ut ſupra memoravimus) aliis aër calidus impuruſque magis convenit. Hìc ergo experientia ſua ægrum dirigere debet. Cibus debet eſſe mitis, ab omni flatulentia alienus, facilis concoctionis, parca ſemel quantitate ſumendus, ſed ſæpius repetendus. Vinum

num dictum *Claret*, aquæ temperatè commistum, potum saluberrimum suppeditat. Exercitatio lenis, præsertim equitatio vel vectio in rheda, vacuo ventriculo, et diurno tempore adhibita præstantissimos effectus edit. Omnia animi pathemata magna sedulo evitanda sunt; nihil enim paroxysmum certius inducit quam nimia eorum indulgentia, uti ex omnium fere auctorum testimoniis comprobatur.

Summi quoque momenti est ægris, ut tempestivè somno sese darent; hoc enim modo non solum evitant noxas ex nimiis vigiliis emanantes, sed corpora ante solitum tempus accessionis fortiora, indeque ad hujus impetum sustinendum (si accesserit) aptiora redduntur.

Semper quoque necesse est, ut alvus soluta teneatur exhibendo pro re nata clysmata et talia remedia quæ non tantum alvi solutionem leniter promovent, sed vi simul roborante gaudent.

FINIS.